Harvard Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

W. M. W.
1776.1

Harvard University Library

BEQUEST OF

WILLIAM McMICHAEL WOODWORTH
(Class of 1888)

TO THE MUSEUM OF COMPARATIVE ZOÖLOGY.

Deposited in the Library of the Harvard
Medical School.

Gift of
Frederic T. Lewis, M.D.

D. IOANNIS ERNESTI NEVBAVER

ORDINIS MEDICORVM IN ACADEMIA IENENSI

H. T. DECANI

DESCRIPTIO ANATOMICA RARISSIMI PERITONAEI CONCEPTACVLI TENVIA INTESTINA A RELIQVIS ABDOMINIS VISCERIBVS SECLVSA TENENTIS

PROLVSIONES II.

DISSERTATIONIBVS INAVGVRALIBVS

DVORVM PRAENOBILISSIMORVM AC DOCTISSIMORVM

MEDICINAE CANDIDATORVM

D. XXV. NOVEMBRIS ET D. IX. DECEMB. CIƆIƆCCLXXV

HABENDIS PRAEMISSAE.

cum Tab. aen.

PROSTAT FRANCOFVRTI ET LIPSIAE,

IN OFFICINA FLEISCHERIANA.

CIƆIƆCCLXXVI.

HARVARD COLL[illegible] LIBRARY
BEQUEST OF
WILLIAM McMICHAEL WOODWORTH
FEB. 19, 1915.

PROLVSIO I.

DISSERTATIONI INAVGVRALI

VIRI CLARISSIMI

GEORGII FRIDERICI HOECHSTETTER

WINDSHEMIO - FRANCI

PRAEMISSA.

Membranam tenuem, ſimplicem, ſatisque firmam, quam peritonaeum dicunt, permagnum quendam vterem formare, quo abdominis cauum intus inueſtit, eandemque variis deinde in locis, variataque ratione interiora verſus reflexam ac productam, maiores minoresque parietes, eosque duplicatos, diuerſa conceptacula atque canales ſtruere, quibus viſcera inuoluuntur abdominalia, firmisque partibus alligantur, ac in ſitu maxime conueniente retinentur; ſatis conſtans et immutabilis fere naturae lex eſt. In comprehenden-

dis ſaltem ac vinciendis inteſtinis viſceribusque reliquis abdominalibus naturam a conſueta regula inſigniter aberraſſe, non niſi rariſſime hucusque obſeruaui. Quae enim ſaepius obueniunt meſenterii, meſocoli, omentorum, inteſtinorum ac viſcerum, eorumdemque ligamentorum, ratione magnitudinis vel ſitus vel connexionis, mutationes; eas fere omnes ſtatui potius morboſo, et imprimis ſenſim auctae partium continentium laxitati, dilatationi, violentaeque diruptioni, quam primae foetus formationi, adſcribendas eſſe, quis non videt! Rariſſimis ideo obſeruationibus illam annumerandam cenſeo, quam in theatro anatomico d. XXVI. Nouembris An. CIↃIↃCCLXXII. feminae viginti duos circiter annos natae corpus demortuum mihi praebuit; vbi inteſtina tenuia, totum nempe ieiunum atque ileum cum duodeni parte, a craſſis inteſtinis reliquisque viſceribus abdominalibus ſemota, peculiari firmiſſimoque conceptaculo quodam incluſa reperiebantur. Hanc itaque rariſſimam peritonaei productionem, quam Cel. huius Academiae Profeſſores, nec non Praenobiliſſimi mei Commilitones ac Auditores mecum contemplati ſunt, accuratius deſcribere, operae pretium fore duxi.

Aper-

Aperto abdomine omentum maius, gaſtrocolicum vti et colicum, naturalem magnitudinem longe excedens, non ad pubis ſolum oſſa, ſed in peluis quoque cauum, deſcendebat, omniaque ſinu ſuo recondere videbatur inteſtina. Hoc dum eleuamus, ſuperioraque verſus reclinamus, nihil inteſtinorum tenuium, ſed coecum ſolummodo atque colon craſſorum, cum amplo et globoſo quodam conceptaculo *a*), grauidum quaſi vterum ſeu permagnum tumorem cyſticum referente, ſtupefacti animaduertimus. Conceptaculum illud inteſtinorum tenuium locum, mediam nempe abdominis regionem, occupans, ad dextrum quoque latus vergebat; longe vero magis ad ſiniſtrum, quod totum amplitudine ſua replebat. Globoſum quidem vterem ſiſtebat, inferiora tamen verſus paullulum coanguſtatum *b*); planiorem a priore parte *c*); magis gibbum a dextra *d*) et inferiore *e*); magisque ſurſum atque deorſum, quam latera verſus, productum. Longitudo decem pollices et ſex li-

 neas

a) Vid. Fig. I. lit. a b. c. d. e.
b) Vid. Fig. I. lit. e.
c) Vid. Fig. I. lit. a.
d) Vid. Fig. I. lit. b.
e) Vid. Fig. I. lit. c.

neas Pariſienſes aequabat; latitudo in medio fere maxima nouem pollices decemque lineas.

Superior vteris ambitus *f*) meſocoli transuerſi inferiori faciei annexus erat.

Siniſter ſiniſtram abdominis regionem, ventriculo ac liene inferiorem, occupans, transuerſo abdominis muſculo adhaerebat, *g*), cuius inſignem tegebat tractum. Incumbebat quoque quadrato lumborum muſculo, pſoas maioris maximae et iliaci interni ſuperiori parti; colon ſiquidem ſiniſtrum de ſede ſua ſeceſſerat. Huic ſiniſtro conceptaculi lateri, eiusdemque ſuperiori et nonnihil poſteriori parti, latum inſerebatur ligamentum, quod a coſtis ſpuriis, qua parte lienis inferius extremum illis adiacet, oblique deorſum exporrigebatur. Aliud adhuc, ſed minus amplum, a ſuperiori facie paullulum concauum, ab inferiori conuexum ligamentum, ex media fere muſculi transuerſi abdominis regione exſurgens, recta fere via conceptaculi latus petebat *h*). Horum itaque ligamentorum ope ſiniſtrum vteris latus ad firmum peritonaei parietem, cauo abdominis affixum, apte religabatur.

Infe-

f) Vid. Fig. I. lit. d.
g) Vid. Fig. I. lit. c. t. t.
h) Vid. Fig. I. lit. p.

Inferior vteris productio ſuper oſſis ſacri et iliaci interni muſculi ſuperiorem partem, ad peluis vsque cauum deſcendebat *i*); leniter vero ſurſum leuata, cum prima oſſis ſacri vertebra, eiusdemque ſuperiori parte, connexa reperiebatur. Duo ibi in conſpectum quoque veniebant ligamenta; vnum, idque maius, ab ouario dextro *k*), alterum a pſoas maioris ſiniſtri inferiore parte, originem duxit; ambo ſenſim lateſcentia oblique extrorſum aſſurrexerunt, imo vteris ambitui inſerenda. His meſocoli pars, flexum coli iliacum figens, media fere interiecta erat, cum inferiori quoque vteris regione, ſed modice latus ſiniſtrum verſus, connexa.

Dextrum abdominis latus ambitum conceptaculi dextrum haud adeo exacte excepit, vti ſiniſtra ſiniſtrum. Satis amplum ibi potius reſtitit ſpatium, quod coecum inteſtinum *l*) et colon dextrum *m*), ſecundum vteris latus, ſed conſueto ductu aſcendentia, expleuerunt. Ideoque conceptaculi fundus quadratum lumborum huius lateris, iliacum internum, transuerſumque abdominis

nis

i) Vid. Fig. I. lit. e.
k) Vid. Fig. I. lit. r.
l) Vid. Fig. I. lit. f.
m) Vid. Fig. I. lit. i, k.

nis muſculum attingere haud potuit; qui potius dextro corporum vertebrarum lumborum lateri ſolummodo affigebatur, vti leuato ſiniſtrorſumque reclinato vtere apparuit. Apparuit quoque minus ligamentum quoddam, quod dextrum et nonnihil inferiorem conceptaculi ambitum cum vermiformi inteſtini coeci proceſſu coniungebat *n*). Apparuit et longe maius ligamentum, ab inferiore pſoas maioris parte ac ex peluis cauo exſurgens, ad imam huius lateris conceptaculi productionem ſeſe coniiciens *o*). Apparuit denique in medio fere vteris latere, eiusdemque parte poſteriori vertebris lumborum proxima, amplum et oblongum foramen, quod ad conceptaculi interiora ducebat *p*).

Hocce foramen duos pollices et decem lineas Pariſienſes longum erat, octo lineas in medio latum; dum leniter tantummodo ſiniſtrorſum erigebatur vter: quo magis uero ille attollebatur, eo magis foraminis creſcebat latitudo, diminuta longitudine. Poſterior aditus illius margo *q*) latiſſimus erat, paullulumque conuexus; ſiquidem dex-

tra

n) Vid. Fig. I. lit. h. et Fig. II. lit. n.

o) Vid. Fig. I. lit. q.

p) Vid. Fig. II. lit. e. f. g. h.

q) Vid. Fig. II. lit. h.

tra priorque corporum vertebrorum lumborum pars eum effecit; vel potius meſocoli dextri portio, quae colo illius lateris inteſtino ſuſpenſo, ad vertebras illas pertingebat, easdemque obducebat, et ad meſenterii formationem ſeſe accingens, in conceptaculum illud tandem intrabat. Anterior autem aditus margo *r*) paululum erat concauus. Eum externa vteris membrana ſtruebat, quae faciem poſtquam exteriorem totius conceptaculi dilatatione ſua perfecerat, vertebris lumborum a dextra parte appropinquans, mutata nunc via ſeſe reflectebat, interioraque conceptaculi petebat; quo duplicatis eiusdem parietibus fundum tandem conficeret firmisque affigeret partibus. Tumidus vero anterior hicce margo erat, ob pinguedinem vaſaque ſanguifera maiora, quae recondebat. Libere fluctuabat, dum totum vterem exterius comprimeres; illo autem iterum dilatato magis conſtrictus erat. Superius *s*) vt et inferius extremum *t*), poſteriora verſus incuruatum, vertebris lumborum ſeſe iniecit; ſuperius perquam anguſtum erat, inferius magis amplum. Superius extremum libere propendebat; inferiori

r) Vid. Fig. II. lit. f.
s) Vid. Fig. II. lit. e.
t) Vid. Fig. II. lit. g.

feriori vero vltima inteſtini ilei portio adhaerebat *u*), aditum ad conceptaculi cauum ibi obturans.

Dum enim tenuia inteſtina in peculiari vtere illo ſecluſa continebantur, id quod poſtea illius diſſectio fecit perſpicuum, vltima ilei pars, craſſis inſerenda foramen illud egrediebatur. Duos pollices et quinque lineas longum erat elapſum ileum *v*), conceptaculum dum ſiniſtrorſum, quantum poterat, remouebatur. Deſcendebat vero oblique latus dextrum ac inferiora verſus, quo ad internum craſſorum latus tandem pertingeret, angulumque cum coeco *w*) formaret obtuſum *x*), qui alioquin, ſi naturalis adeſt ilei cum craſſis coniunctio, ſemper exſtare ſolet acutus.

Sed craſſa inteſtina, exterius vteri appoſita, illum vallo quaſi cingebant. Inferiori enim dextri ambitus parti internum appendicis vermiformis, de coeco dependentis, latus, ligamenti ſupra deſcripti ope, connectebatur *y*). Coecum ipſum colonque dextrum, conſuetum ſitum obtinentia, aſcendendo dex-

u) Vid. Fig. II. lit. i.
v) Vid. Fig. II. lit. i. k.
w) Vid. Fig. II. lit. l.
x) Vid. Fig. II. lit. i. k. l.
y) Vid. Fig. I. lit. h. et Fig. II. lit. n.

dextrum legebant conceptaculi latus *z*). Flexus coli dexter conſueta conſtitutus erat ratione *aa*); vnde colon transuerſum ſub hepate, fellis veſicula, et magnum ventriculi arcum antrorſum primo, deinde ſiniſtrorſum progrediens *bb*), ſuperiorem conceptaculi inteſtinorum tenuium partem circumdabat. Siniſter coli flexus *cc*) primo intuitu naturalem ſitum obtinere videbatur; acuratius vero contemplatus nimis a liene anteriora verſus remotus reperiebatur. Qui enim alioquin ſub liene a poſteriori parte ſe abſcondere ſolet; nunc potius ſuperiori vteris noſtri ambitui, a ſiniſtra parte, vbi nempe repoſitus erat, annectebatur. Sed colon ſiniſtrum maxime a couſueto decedebat decurſu. Amplus enim inteſtina tenuia includens vter illud adeo e priſtina ſede anteriora verſus propulſerat, vt nunc ante ipſum vterem a latere ſiniſtro deſcenderet colon *dd*), eiusdemque laeua facies duos pollices totidemque lineas ab receptaculi ambitu, muſculo transuerſo abdominis ſiniſtri lateris affixo, diſtaret. In hocce decurſu inteſtinum colon ſiniſtrum quoad tertiam

 ampli-

z) Vid. Fig. I. lit. f. i. k. b.
aa) Vid. Fig. I. lit. k.
bb) Vid. Fig. I. iit. k. l. m.
cc) Vid. Fig. I. lit. m.
dd) Vid. Fig. I. lit. m. n. o.

amplitudinis ſuae partem, immo nonnihil adhuc maiorem, conceptaculo annexum erat, reliquo eiusdem ambitu ex priore vteris facie eminente. Tali autem ratione poſtquam recta fere via ſuper priorem vteris partem ad peluim vsque deſcenderat; nunc ſiniſtrorſum *ee*), et mutato tunc iterum itinere ad imum conceptaculi ambitum poſteriora verſus declinabat, flexumque ibi formabat iliacum. Hic interim flexus qui cum meſocolo ſuo de ima vteris parte ſuſpenſus erat, adeo ſub illa in peluis fere cauum depreſſus erat, vt in conſpectum haud veniret, niſi protracto leuatoque vtere.

Quanam vero ratione peritonaeum inſolitum illud conceptaculum eiusdemque cavum perfecerit et a quibusnam partibus productum fuerit, etc. alio indicabo tempore. Nunc enim digniſſimi Medicinae Candidati

VIRI NOBILISSIMI ATQVE CLARISSIMI
GEORGII FRIDERICI
HOECHSTETTER
WINDSHEMIO-FRANCI

curriculum vitae ſtudiorumque rationes vti mecum communicauit proponam.

Ego

ee) Vid. Fig. I. lit. o.

Ego GEORGIVS FRIDERICVS HOECHSTETTERVS *primam huius vniuerſi lucem adſpexi anno huius ſeculi quinquageſimo quinto die* 30. *Ianuarii*, Vindeshemiae *vrbe illuſtri libera imperiali. Omni qua decet obſeruantia et pietate veneror patrem Virum Praenobiliſſimum atque Experientiſſimum* CHRISTOPHORVM GVILIELMVM HOECHSTTERVM *Medicinae Licentiatum et Phyſicum vrbis* Vindeshemienſis *primarium; Matrem* VRSVLAM BARBARAM *Praenobiliſſimi ICti et Conſulis* IOHANNI CASPARI HORLACHERI *filiam. Optimi hi et cariſſimi parentes omnem operam omnemque curam in me educando adhibuerunt et vt ſtatim a teneris vnguiculis veris Chriſtianae religionis principiis, et litteris humanioribus imbuerer curauerunt. Quem in finem me tam publicis quam priuatis Praeceptoribus Gymnaſii patriae tradiderunt, inter quos praecipue Viri clariſſimi Dn. M.* GEORGIVS GVILIELMVS DIEZIVS, *Rector meritiſſimus, et* IOH. LEONHARDTVS DAVMENLANGIVS, *Conrector, me tam publice quam priuatim inſtruxerunt, quorum fidelitatem et operam in me erudiendo nunc publicis praedicare debeo laudibus, ac ſemper grata agnoſcam mente. Abſoluto domeſtico et ſcho-*

 laſtico

laſtico vitae meae curriculo, ſtudio medico cum me conſecrare decreuiſſem, iuſſu patris mei optimi A. R. S. CIↃIↃCCLXXII. *ad illuſtrem hanc muſarum ſedem me contuli, et ab Illuſtri* SVCCOVIO *faſces tunc temporis Academiae tenente in ciuium academicorum numerum ſum receptus. Vt vero non inpraeparatus ad ſtudium medicum accederem, fundamentis philoſophicis addiſcendis operam nauaui et ſcholas logicas et metaphyſicas Illuſtris Conſiliarii Aulici* HENNINGS *frequentaui. Matheſin tam puram quam adplicatam audiui apud Illuſtrem* WIDEBVRG. *Phyſicam experimentalem vero apud Illuſtrem* SVCCOV. *In Botanica me erudiuit Illuſtris* BALDINGER, *nunc Profeſſor Goettingenſis longe celeberrimus. In Phyſiologicis, Pathologicis, Semioticis, materia medica, chemia experimentali, et methodo medendi Illuſtrem atque Excellentiſſimum Conſiliarium aulicum* NICOLAI, *Gratioſae Facultatis Medicae Seniorem Venerabilem, Praeceptorem ad vltimum vsque vitae meae halitum deuenerandum habui, cuius ſolidas inſtitutiones et ſingularia in me collata beneficia grata ſemper recolam mente. In Anatomia, Chirurgia et arte obſtetricia Ill. Conſiliarium aulicum* NEVBAVER *h. t. Decanum ſpectatiſſimum*

tiſſimum maximo cum fructu audiui. In Praelectionibus b. MAIERI, *quibus medicinam legalem, et chemiam pharmaceuticam tradidit, etiam interfui, quas vero ob praematuram mortem. Dn. D.* SVCCOVIVS *ad finem perducebat. Nec ſilentio praeterire poſſum maximos, quos ex Praelectionibus Oſteologicis et botanicis Experimentiſſimi Dn. D.* SCHENCKII *et Excellentiſſimi Dn. Prof.* HALLBAVERI, *percepi vſus.*

Clariſſimo huic Viro, qui in conſuetis examinibus omnium deſiderio ſatisfecit, ſummos in arte medica honores tribuendos eſſe, Medicorum ordo decreuit. Diſſertationem itaque ſuam inauguralem de *anthelminthicis* Praeſide *Viro Illuſtri*, ERNESTO ANTONIO NICOLAI, *Medicinae ac Philoſophiae Doctore, Potentiſſimi Boruſſiae Regis, Sereniſſimae Domus Saxo-Vinarienſis ac Iſenacenſis, Sereniſſimi Principis Sondershuſa-Schwarzburgici, nec non Sereniſſimorum Principum de Solms-Braunfels Conſiliario Aulico horumque Archiatro, Comite Palatino Caeſareo, Chemiae et Praxeos Profeſſore Publico Ordinario, Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Sodali, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium Aſſeſſore, Facultatis noſtrae Seniore Grauiſſimo, Collega Coniunctiſſimo,* proximo Saturni die defendet.

Quem

Quem actum Solemnem vt Magnificus Academie Ex-Prorector, Magnificus Prorector Deſignatus, Comites S. R. I. Illuſtriſſimi, Patres Academiae conſcripti, Profeſſores atque Proceres, vt et Commilitones Praenobiliſſimi, omnesque artis medicae ac ſtudiorum Fautores, praeſentia ſua illuſtriorem reddere velint, Facultatis noſtrae nomine humaniſſime ac obſeruantiſſime rogo. P. P. Sub Sigillo ordinis Medicorum.

Ienae d. XXI. Nouembris CIƆIƆCCLXXV.

PRO-

PROLVSIO II.

DISSERTATIONI INAVGVRALI

VIRI CLARISSIMI

IOANNIS CHRISTIANI GVILIELMI MÜLLER

VINARIENSIS

PRAEMISSA.

Rarioris quum nuperrime tenuia inteſtina includentis conceptaculi ſitum exterioremque deſcripſerim habitum; quae circa eiusdem fabricam, a partibus circumiacentibus miram productionem, interius cauum atque fundum exacta perſcrutatione animaduerterim, addenda nunc eſſe putaui.

Ad *fabricam* quidem quod attinet, eam membranaceam fuiſſe, dum *peritonaeum* totum exſtruxerit vterem, omnibus quidem patebit. Sed illud

quibusdam in locis ſimplici, in plerisque autem duplici prodibat ductu. Simplex vbi exſtabat, partibus vicinis ſeſe affigebat, idque telae celluloſae ope, omni peritonaeo exterius inſtrato. Duplicatum vero libere pendebat. Duplicato eadem quoque interpoſita erat celluloſa, ambas arcte coniungens laminas; hinc inde autem adipem continebat, vaſaque minora atque maiora ſanguifera; quid quod! inteſtini tenuis atque craſſi portiones, ambas inter laminas proſerpentes. Eiusmodi autem notatu digniſſimas varietates recenſendi locus opportuniſſimus erit, dum duplicatas peritonaei ad vteris fabricationem productiones exponam. Ad eas itaque prius me accingam.

Interiorem muſculorum abdominalium faciem *peritonaeum* a dextro latere *a*) et a priore parte naturali ratione inueſtiebat; in ſiniſtro autem latere quatuor adhuc pollicum a ſpina interuallo remotum *b*), reflectebatur, reliquamque *tranſuerſi* abdominis muſculi partem intactam relinquens, eadem fere

a) Vid. Tab. adiectae Fig. I. lit. u.
b) Ibid. Fig. I. lit. w. w.

fere via, qua ſiniſtrum latus petierat, amplo nempe curuamine facto, verſus dextrum iterum retrogrediebatur, vt magnam faciei conceptaculi exterioris conſtituat partem. In hocce decurſu vero externa vteris lamina neceſſario inteſtinum *colon ſiniſtrum*, ad vterem exterius deſcendens, *c*), attingebat, cuius duas tertias fere amplitudinis partes, inſigniter eminentes, inuoluebat, arcteque conceptaculo alligabat; quo facto porro dextrorſum, tandemque incuruo ductu retrorſum, ad vteris oſtium vsque *d*) extenſa, exteriorem eandemque anteriorem, dextram et nonnihil poſteriorem vteris ſtruebat partem. Sed et aliae peritonaei productiones a ſuperiori et inferiori abdominis regione accedebant. A ſuperiore nempe parte, poſtquam peritonaeum *hepar*, *ventriculum*, *lienem*, *omenta*, ſuperiorem *meſocoli transuerſi* faciem, *colon transuerſum*, flexumque eius dextrum et ſiniſtrum obduxerat, ac inferiorem denique *meſocoli transverſi* laminam poſteriora verſus inclinantem, quoad tertiam fere latitudinis partem conſtituerat; mutata nunc via

 ante-

c) Ibid. Fig. I. lit. m. n. o.

d) Vid. Tab. adiectae Fig. II. lit. e. f. g. h.

anteriora et porro inferiora verſus procedebat, vt exteriorem vteris laminam a ſuperiore parte *e*) ſimili perficiat ratione. Sic ab inferiore quoque abdominis regione et ex ipſa pelui peritonaeum, *vteri*, *ligamentorum*que eiusdem *latorum* poſterioribus faciebus obuolutis, ante inteſtinum *rectum*, et *flexum coli iliacum* circum, ſuperque *meſocoli* flexum illum coercentis latera, ac porro ſuper muſculos *iliacos internos* et *pſoas maioris* inferiores partes, ad conceptaculi noſtri exteriorem parietem ab inferiore parte abſoluendum *f*), aſcendebat. Ex diuerſis hiſce abdominis regionibus vndique aduentantes peritonaei portiones confluebant, vnicamque, continuam, lateque diſtentam membranam, conuexam nempe, lubricam ac aequabilem vteris exteriorem faciem *g*), ligamentaque ſupra deſcripta *h*), adiacentibus partibus illam annectentia, ſtruebant.

A dex-

e) Vid. Tab. adiectae Fig. I. lit. d.

f) Ibid. Fig. I. lit. e.

g) Ibid. Fig. I. lit. a. b. c. d. e.

h) Vid. Proluſionis I. pag. 6. 7. §. et Tab. adiectae Fig. I. lit. p. r. q. h.

A dextro autem latere, vbi oblongo conceptaculum perforatum erat oſtio *i*), exterior lamina ſenſim coarctata in foramen illud intrabat, ibique circum maiora quaedam vaſa ſanguifera interiora verſus reflexa, tumidum reddebat foraminis marginem anteriorem *k*); vnde intus contra ſe ipſam ſurſum, ſiniſtrorſum et deorſum revoluta, internam vt vteris amplitudinem inueſtiret, lateſcendo iterum diſpergebatur. Sed ad ipſum foraminis illius introidum exterior conceptaculi lamina cum illa quoque peritonaei parte, quae, *coeco* inteſtino *colo*que *dextro* obtecto atque ſuſpenſo, vertebras lumborum verſus progreditur *l*), (*meſocolon dextrum* vocant), a ſuperiore *m*) inferioreque oſtii parte *n*), coniungebatur; vbi ad inferiorem locum egrediens *tenue inteſtinum*, foraminis partem obturans, productione illa ſimul inuoluebatur, arcteque imo foraminis extremo affigebatur *o*).

 Inte-

i) Vid. Tab. adiectae Fig. II. lit. e. f. g. h.
k) Ibid. Fig. II. lit. e. f. g.
l) Ibid. Fig. II. lit. q. q.
m) Ibid. Fig. II. ad lit. e.
n) Ibid. Fig. II. ad lit. g.
o) Ibid. Fig. II. lit. i. g.

Interior autem lamina, ab conceptaculi oſtio ſiniſtrorſum proſerpens, veſtigiaque exterioris parietis relegens, egredientem vltimam *inteſtini tenuis* portionem, ad pollicis longitudinem comprehendebat, eamque ſecundum inferiorem foraminis regionem, externam inter atque internam vteris laminam ſecluſam tenebat. Attamen hanc *ilei* partem, exterius ſi vterem perluſtrares, diſtinguere haud datum erat; interius enim ſolummodo prominebat laxato interiori pariete potiſſimum obducta. Cylindraceus illius laminae proceſſus, proximae *ilei* parti circumvolutus, ad *meſenterium* ibidem quoque deſcendebat.

Inteſtino *ileo* vero ablegato, interior lamina ſiniſtrorſum in itinere ſuo pergebat, exteriori telae celluloſae ope ad *colon ſiniſtrum* vsque arcte coniuncta. Nunc enim ab exteriore pariete iterum ſecedens, poſteriorem *coli* faciem, quae tertia totius amplitudinis et nonnihil maior pars erat, tegebat; ſic vt totum *colon ſiniſtrum*, etſi ante vterem deſcendere videbatur, inter externam potius internamque eius laminam deorſum reperet.

Inte-

Interior autem vteris lamina poſtquam pone *colon ſiniſtrum* inceſſerat, in exteriorem ſe iterum coniecit laminam, eamque vsque ad conceptaculi noſtri ſiniſtrum limitem exteriorem *p*) comitata eſt; vnde vertebras lumborum verſus reflexa, limitem illum transſcendit, poſterioremque *transverſi* abdominis muſculi partem, *quadratum lumborum* et *pſoas maioris* ſuperiorem regionem, (quas partes nempe peritonaeum, dum exteriorem antea vteris faciem ſtruere feſtinabat, nondum obduxerat), operuit, ac ipſa vertebrarum lumborum corpora ad *meſenterium* formandum tandem aſcendit.

Conſimili ratione interior conceptaculi lamina ſurſum delata, vltra ſuperius exterioris laminae principium ſe extendebat. *Peritonaeum* enim, dum antea exteriori laminae a ſuperiori parte originem largiebatur, *meſocoli transverſi* inferiorem faciem quoad tertiam tantummodo latitudinis partem contexerat. Interior ideo lamina in hunc locum provecta, exteriorem dereliquit, ad *meſocolon transverſum*

p) Vid. Tab. adiectae Fig. I. lit. w. w.

verſum ſe coniecit, eiusdemque inferiorem parietem, ad duas tertias nempe reliquas partes, perfecit; vnde ad vertebrarum lumborum corpora, quo *meſenterium* cum *inteſtinis tenuibus* ibi veſtiret deſcendit, ſimulque inteſtini *duodeni* inferiorem partem, ſub *meſocolo transuerſo* ad conceptaculi interiora proſerpentem, operuit.

Reliqua denique interioris parietis pars, quae deorſum protenſa exterioris laminae inferiorem productionem, ad primam oſſis *ſacri* vertebram vsque proſequebatur, decurſu ſuo ibidem mutato *interuertebrali* ligamendo cartilagineo, vltimae lumborum primaeque oſſis ſacri vertebrae interpoſito, annectebatur, et ad lumborum vertebrarum corpora, quo ſuam quoque ad meſenterium conferret partem, ſurſum progrediebatur.

Meſenterium itaque, quod naturalem ceterum prae ſe ferebat figuram, cum *tenui inteſtino* conceptaculi cauum replens, ab interiore eiusdem lamina, corpora lumborum verſus vndique concurrente, exſtruebatur; cui quaedam adhuc, eademque parca *peritonaei* portio, quae *colo dextro* inuoluto per

con-

conceptaculi foramen intrauerat *q*), in auxilium quaſi accedebat.

Sola quoque interior lamina *fundum* vteris noſtri perfecit, quem ſiniſtri lateris muſculis *transuerſo* abdominis, *quadrato lumborum* et *pſoas maioris* ſuperiori parti, vt et *reni* ſiniſtro ipſisque *lumborum vertebris* affixit. Eundem a ſuperiori parte terminauit *colon transuerſum*; ab inferiori oſſis *ſacri* prima vertebra; a dextra dextrum corporum *vertebrarum lumborum* latus; a ſiniſtra *transuerſi* abdominis muſculi regio quatuor pollices a lumborum vertebris remota. Siniſtra itaque fundi pars ſinuata erat; dextra gibba et longe elatior.

Conceptaculi autem *cauum* a priori, ſuperiori, inferiorique parte, vt et a lateribus, exteriori ambitui, ſi *colon ſiniſtrum* demſeris, prorſus erat conſimile; a poſteriori fundus, quem modo deſcripſi, illud conſtituebat. Satis itaque ſpatioſum erat, quo tenuia inteſtina meſenterio ſuſpenſa aptiſſime ibi collocari, et libere ſimul in illo moueri quirent.

An-

q) Vid. Tab. adiectae Fig. II. lit. q.

Anterior denique, ſuperior, inferior, lateraleſque conceptaculi illius partes, duplicata peritonaei fiebant productione, dum tenuis tela celluloſa interiorem cum exteriori coniungebat laminam. Illos interim parietes inter adipem quoque hinc inde ſediſſe, vaſaque repſiſſe ſanguifera, iam monui; nunc plagas illas ſpeciatim deſignabo. Et primo quidem eo in loco, vbi ſuperior vteris ambitus *meſocolon transuerſum* attigit *r*), parca pinguedinis copia cum minimis arteriae venaeque *colicae mediae* ramulis apparebat. Ad dextrum vero ſiniſtrumque *coli ſiniſtri* latus, ambas inter conceptaculi laminas deorſum prolabentis *s*), maior adipis praeſto erat copia; ſiniſter quoque arteriae *colicae mediae* ramus *t*), venaque ſocia *u*), ad dextrum *coli ſiniſtri* latus deorſum procedebant, qui cum aſcendente ramo arteriae *meſentericae inferioris*, ſeu *colicae ſiniſtrae Perill.* DE HALLER *v*), et cum venae

r) Vid. Tab. adiectae Fig. I. lit. d.

s) Ibid. Fig. I. lit. m. n. o.

t) *Vid. Perill.* DE HALLER *Icon. anat. Faſc. III. Tab. arteriarum meſentericarum Num.* 3.

u) Ibidem Num. cit.

v) Vid. loc. cit. num. 5.

venae *haemorrhoidalis internae*, (ſeu *colicae ſiniſtrae*), ramo aſſurgente *w*) coniuncti, *magnos arcus meſentericos* conſtituebant *x*), exteriori ac interiori laminae pariter interpoſitos. Paullulum porro adipis vaſorumque ſanguiferorum minorum *y*) in conceptaculi infima parte, oſſi ſacro ac *flexui iliaco coli* proxima, deliteſcebat. Maxima denique vaſa vteris noſtri oſtium eiusdemque anteriorem imprimis marginem cingebant. Inſignis enim arteriae venaeque *meſentericae ſuperioris* ramus *z*) ad imam foraminis illius partem incuruatus, vltimae inteſtini *ilei* portioni, *coeco* proximae, ramulos porrigebat; vnde in anteriore oſtii margine laminam inter exteriorem vteris noſtri atque interiorem, adipe circumdatus, ſurſum proſerpebat, quo ſeſe cum arteria venaque *ileo colica aa*) ad ſum-

 mam

w) Vid. loc. cit. lit. o.

x) loc. cit. num. 3. 6.

y) A ramo deſcendente arteriae et venae *colicae ſiniſtrae* ſ. *haemorrhoidalis internae;* vid. *Perill.* DE HALLER loc. cit. lit. p. et num. 10.

z) Ex iis, quos *Perill.* DE HALLER *loc. cit.* num. 2. indicauit.

aa) Vid. loc. cit. k. et lit. x.

mam foraminis illius partem ex *meſenterica ſuperiore* emergente, inferioraque verſus dein inflexa, coniungeret. Haec itaque vaſa duos effecerunt arcus (arteriarum alterum, alterum venarum), anteriorem oſtii marginem firmantes, eundemque pinguedine circumfuſi tumidiorem reddentes.

Sed haecce de vtere illo annotaſſe ſufficiant, quum indicanda ſit ſolennitas,

VIRI NOBILISSIMI AC CLARISSIMI

IOANNIS CHRISTIANI GVILIELMI MÜLLER,

VINARIENSIS,

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

cuius vitae, ſtudiorum ac laborum concatenatorum relationem, qualem mihi tradidit, vti moris eſt, adiiciam.

Ego, IOANNES CHRISTIANVS GVILIELMVS MÜLLER, *natus ſum* Vinariae, *anno huius ſaeculi, quinquageſimo quarto. Patrem habui ante aliquot annos, proh dolor, mihi ereptum*, IOANNEM GOTTLIEBIVM MÜLLER,

LER, *apud defunctas Duces, Domus Sereniſſimae Vinarienſis, Medicum aulicum, Conſiliarium, Vrbis ac terrarum* Vinarienſium *Phyſicum. Mater mihi ſupereſt cariſſima, e ſtirpe* WEBERIANA. *A teneris vnguiculis cura ac ſollicitudo parentum meorum fuit maxima, vt religionis, et pietatis praeceptis, rite imbuerer, quae plurima ex ore ſuauiſſimo Patris mei, in tumulo deuenerandi, haurire mihi contigit. Ex ephebis egreſſus, inſtructoribus priuatis demandabar, qui me in litteris iſtis informarent, quibus aetas puerilis erudiri ſolet. Reliqui inſtitutiones priuatas, et ciuis factus ſum Gymnaſii illuſtris* Vinarienſis. *Habui praeceptores laudibus, ac meritis conſpicuos, quibus multa debeo, et quorum memoria apud me erit ſemper gratiſſima. Hancce deinde longe Celeberrimam Academiam acceſſi anno huius ſaeculi ſeptuageſimo ſecundo,* Illuſtri SVCCOVIO *academiae faſces tenente. Curriculo ſtudiorum, a Patre ipſo dilecto inſtituto, curae ac humanitati Viri Illuſtris, Facultatis Medicae Senioris ſumme Venerabilis, Dn.* NICOLAI *demandatus ſum, cuius in me tot, tantaque beneficia gratiſſimo animo publice profiteor, ſemper ſemperque reiterabo. Praelectionibus eius Phyſiologicis,*

logicis, *Pathologicis*, *Chemicis*, *Pharmaceuticis*, *Therapeuticis interſui*, *quibus adiungo res Anatomicas*, *Chirurgicas*, *ac artem oſtetriciam ſpectabilis Gratioſae Facultatis Decani*, *Dn.* NEVBAVERI. *Porro interſui praelectionibus ſemioticis Viri Excellentiſſimi Dn.* GRVNERI, *nec non Botanicis*, *Chemicis et Pathologicis*, *Illuſtris* BALDINGERI *ac b.* MAIERI. *Non praetereo Viros ſummopere colendos*, *Illuſtrem* WALCHIVM, *ex cuius nempe hiſtoria naturali inſignem hauſi voluptatem ac fructum*, Illuſtrem SVCCOWIVM et Ill. WIDEBVRGIVM, *in mathematicis ac Phyſicis inſtructores longe Celebratiſſimos. Eodem anno*, *menſe Ianuario diſceſſi ab hac Academia*, *vt in celeberrima* Argentoratenſi *Muſarum ſede per quoddam tempus commorarer*, *vbi Viros in arte medica longe praeſtantiſſimos conueniendi opportunitatem nactus ſum vberrimam. Iter deinde in Galliam inſtitui*, *et Lutetiae Pariſiorum per aliquot menſes non ſine maximo emolumento verſatus ſum. Appropinquante vero hyeme reliqui Galliam*, *et* Ienam *reuerſus*, *examinibus medicis me ſubieci.*

In

In hiſce autem examinibus, tam theoreticis quam practicis, haud vulgaris diligentiae ac eruditionis ſpecimina edidit *Vir Nobiliſſimus*, digniſſimusque ab Ordine noſtro iudicatus eſt, cui ſummi in Medicina impertirentur honores. Antea vero, proximo nimirum die *Mercurii* Sub Praeſidio *Viri Illuſtris*, *Excellentiſſimi* ac *Experientiſſimi* ERNESTI ANTONII NICOLAI, *Medicinae ac Philoſophiae Doctoris*, *Potentiſſimi Boruſſiae Regis*, *Sereniſſimae Domus*, *Saxo Vinarienſis ac Iſenacenſis*, *Sereniſſimi Principis Sondershuſa - Schwarzburgici*, *nec non Sereniſſimorum Principum de Solms - Braunfels Conſiliarii Aulici horumque Archiatri*, *Comitis Palatini Caeſarei*, *Chemiae et Praxeos Profeſſoris Publici Ordinarii*, *Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Sodalis*, *Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Aſſeſſoris*, *Facultatis noſtrae Senioris Grauiſſimi*, diſſertationem a ſe conſcriptam *de viribus et vſu mercurialium*, publice horis antemeridianis et pomeridianis defendet.

Veſtra Honorifica praeſentia, Magnifice Academiae Ex - Prorector, Magnifice Academiae Prorector deſignate, S. R. I. Comites Illuſtriſſimi,

mi, Patres Academiae conſcripti, Profeſſores atque Proceres, Viri ſumme Reuerendi, Perilluſtres, Illuſtres, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi! Veſtra, inquam, honorifica praeſentia hanc Solennitatem longe reddet ſplendidiorem atque illuſtriorem; Veſtraque frequentia Commilitones Generoſiſſimi, Praenobiliſſimi, Doctiſſimi! omnesque ſtudiorum ac medicae artis Fautores plurimum Colendi! eandem quam maxime condecorabit. Actui itaque noſtro inaugurali vt pro veſtra erga nos humanitate atque beneuolentia intereſſe velitis, Facultatis noſtrae nomine omni qua decet obſeruantia oro atque obteſtor. P. P. Sub Sigillo Ordinis Medicorum.

Ienae d. — Decembris CIƆIƆCCLXXV.

EXPLI-

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Figvra I.

A priore parte delineatum vterem ſiſtit, vti aperto abdomine ſublatoque omento maiori in conſpectum veniebat.

a. b. c. d. e. Exterior *vteris* ambitus.
- a. Facies anterior, gibba quidem, ſed paullulum planior.
- b. Latus dextrum, magis globoſum.
- c. — ſiniſtrum, planius.
- d. Ambitus ſuperior.
- e. — inferior, nonnihil coanguſtatus.

f. Inteſtinum *coecum.*
g. Eiusdem *proceſſus vermiformis.*
h. Ligamentum proceſſum illum cum *vtere* connectens.
i. k. Inteſtinum *colon dextrum.*
- i. Eius initium.
- k. *Flexus coli dexter.*

k. l. m. *Colon transuerſum.*
- m. *Flexus coli ſiniſter.*

m. n. o. *Colon ſiniſtrum*, ante *vterem* deſcendens.
- o. Ibi *colon ſiniſtrum* ſub inferiori vteris ambitu ſe recondit, *flexum* ibi *iliacum* perficiens.

p. Ligamentum in latere ſiniſtro *conceptaculum* muſculo *transuerſo* abdominis alligans.
q. Ligamentum a *pſoas maioris* inferiore parte ad dextrum *vteris* latus eiusdemque inferiorem regionem aſcendens.
r. Ligamentum inter *ouarium* dextrum imumque *conceptaculi* ambitum expanſum.
s. t. t. u. Muſculi abdominales cum *peritonaeo* diſciſſi atque reclinati.

s. Eorundem pars inferior.
t. t. — — ſiniſtra.
u. — — dextra.

w. w. Locus vbi *peritonaeum* a muſculo *transuerſo* ſiniſtri lateris ad *vteris* exteriorem faciem formandam reflectitur.

FIGVRA II.

Siniſtrorſum reclinato vtere, dextrum eiusdem latus, oſtiumque ibi patulum delineat.

a. b. c. d. Exterior *vteris* facies a latere dextro.
a. Facies anterior ſiniſtrorſum reclinata.
b. Latus dextrum.
c. Ambitus ſuperior.
d. — inferior.

e. f. g. h. *Foramen* in latere *conceptaculi* dextro praeſens.
e. Eiusdem extremum ſuperius admodum incuruatum.
f. — margo anterior.
g. — extremum inferius.
h. — margo poſterior.

i. k. *Inteſtini tenuis* pars vltima.
i. Ibi per foramen tranſit, inferiori eiusdem extremo nexa.
k. Hac parte *craſſis* inſeritur.

l. Inſteſtinum *coecum*.

m. Eius *proceſſus vermiformis*.

n. Ligamentum eundem *conceptaculo* alligans.

o. p. *Colon dextrum*, aſcendens.
o. Eiusdem principium.
p. *Ibi flexum* conſtituit *dextrum*.

q. q. *Meſocolon dextrum* ſiniſtrorſum progrediens, partimque ad *vteris* dextrum latus exterius ſeſe applicans, partim vero per illius *oſtium* interiora verſus, ad *meſenterium* proſerpens.


Fig. I.



G. C. Schmidt sc. Jenæ 1776.



Fig. II.



QM
345
N47
1776